



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 89. Edictum Mulinense circa Ecclesiæ res.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

dendam, deinceps vero honesta & congrua iudicibus stipendia esse assignanda. Sæcul. XVI.  
A.C. 1566.  
Ex his rationibus subinde colligebat, iudices potius biennales, & triennales, quam perpetuos constituendos esse.

## §. LXXXIX.

*Edictum Mulinense circa Ecclesiæ res.*

Circa hæc propositiones prolixius excurrebat Cancellarius, pluresque desuper instituebantur deliberationes, tandem vero Mense Februario celeberrimo Mulinense edictum condebatur, quod octoginta sex capita complectitur, inter quæ multa ad iubevandos populos, ac refecandas lites perutilia lanciebantur, & quidem in articulo nono Ecclesiasticis sua privilegia assererentur, quin eis quovis pacto derogetur. In quinquagesimo octavo agebatur de modo, quo iudicii acta in causis criminalibus circa Ecclesiasticos instituerentur, ac dijudicanda sint. Articulus quinquagesimus quintus præcipit, ut tonsuræ, & monasticæ Professionis testimonium per literas, & non per testes probetur. In trigesimo nono mandatur, ut in delictis, casibusque exemptis iudicii acta contra Ecclesiasticos coram Regiis iudicibus instituantur, ac definiantur. Septuagesimus quartus reipsa

*Ord. des  
Rois de  
France par  
Fontanon.  
Mem. du  
Clerge t I.  
2. c. 91. n. 12.  
pag. 4.*

Sæcul. XVI.  
A. C. 1566.

re ipsa executioni dari vult edicta, quibus Sodalitates, conventus, & consueta convivia tanquam tumultuum, commellationum, rixarum, & monopoliorum occasiones interduntur. In septuagesimo tertio Regiis Ministris iungitur, ut edicta de Nosocomiis edita in usum deduci curent, quatenus hac ratione redditus ad pauperum levamen legitime distribuantur: insuper ibidem præcipitur, ut omnes cujuscunque Urbis, pagi, aut villæ pauperes ab incolis alantur, & sustententur, quin alibi, quam in domiciliis sui locis, Eleemosynam petere valeant. Articulus septuagesimus quintus Episcopis permittit, ut cunctos ad gradum promotos examinare, ac de eorum habilitate testimonium dare possint, si quod beneficium obtinere velint. In septuagesimo septimo cunctis inhibetur, ne quicunque libros, opuscula, famososque libellos, aut scripturas contra honorem, vel cujuscunque famam compositos sub quocunque demum prætextu scribant, typis edant, aut vœnum exponant, indictis singularibus pœnis: insuper in articulo septuagesimo octavo omnibus prohibetur, ne quoscunque libros, vel tractatus absque Regis permisso, & privilegii diplomate imprimant, vel imprimi curent: præterea iungitur ty-

pogra-

pographo, ut in hoc eventu suum nomen, domicili locum, necnon ipsummet domicilium apponat, atque inferat, sub omnium bonorum proscriptione, ac castigationis pœna. Denique in articulo octogesimo sexto omnes blasphemix, & juramenta in Dei nomen vetantur, simulque mandatur, ut jurantes, & Blasphemi non modo pecuniarum multa, sed etiam corporis pœna coerceantur, hacque re judicium honor, ac conscientia onerata censeatur.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1566.

§. XC.

*Hoc edictum in Senatu confirmatum.*

Hoc edicto ad Senatum transmissio, reque maturius perpensa quorundam opinio eo abibat, ut quibusdam hujus edicti articulis obluētandum esset: verum Rex Parisios reversus die decima Julii novas misit literas, quibus ad propositas difficultates respondit: recitatis itaque hisce literis edictum die vigesima tertia Julii fuit approbatum, addita tamen licentia, vi cujus circa hasce difficultates amplius apud Regem intercedere liceret.

§. XCI.

*Colinii cum Guisfis reconciliati.*

Priusquam Rex cum Aula sua Mulinum proficiscebatur, ejus jussu Colinii

Thuan. l. 39.